tatis miseriis non poterant non commoveri, inde explicandum, quod singuli singulorum dolores appellandi erant plurali numero: quemadmodum *nostrorum hominum ingenia* dicitur, quamquam unius non nisi *ingenium* dici potest. Ita Div. IV. 6. *cuius in sermone et severitate omnes curas doloresque deponerem*, i. e. dolorem e singulis rebus ortum. Eademque observatione uti soleo in arguenda Marcelliana, in qua § 34. haec vitiose leguntur, *magnis curis*, *molestiis*, *doloribus liberatus*.

Huiusmodi minutis correctionibus emendari posse puto elegantissimi libelli contextum quem nobis Codd. Mss. reliquerunt, ut in singulis obtineatur casta et sincera et solida et sana Ciceronis oratio. Idem si umquam effecerit Madvigius in Catilinariis, cui largissimam Codicum supellectilem praesto fore ipsius causa (nam mea nihil interest) vehementer opto, erit mihi magnus Apollo.

Ἐξακοῦμαι VARIE CORRUPTUM.

In Iamblichi libro de Myster. Aegypt. I. 11. pag. 40. Edit. Parthey editur: *εἰκότως αὐτὰ ἄκεα Ἡράκλειτος προσεῖπεν ὡς ἐξακεσόμενα τὰ δεινά*. Codices omnes aut *ἐξακουόμενα* exhibent aut *ἐξ ἀκουόμενα*, in quo latet vera scriptura *ἐξακούμενα*. Ignotum Graeculis vocabulum saepe in notiora refingitur. Cyropaed. VIII. II. 22. *τὰς ἐνδείας τῶν φίλων ἐξακοῦμαι*, in libris nonnullis *ἐξαρκοῦμαι* legitur. In Platonis Menone pag. 91 D. *οἳ μὲν τὰ ὑποδήματα [ἐργαζόμενοι] τὰ παλαιὰ καὶ τὰ ἱμάτια ἐξακούμενοι* quinque Codd. apud Bekk. *ἐξασκούμενοι* servant. Expunge autem ineptissimum *ἐργαζόμενοι*. Lucianus Necyom. cap. 17. *μισθοῦ ἀκούμενος τὰ σαθρὰ τῶν ὑποδημάτων*, ubi duo libri *ἀσκούμενος* habent. Hinc optime iudicari potest quam feliciter Hemsterhusius Aeschini Socratico III. 15. reddiderit *τὰ δὲ παθήματα — ἀκεῖται (λόγοις) τοῖς δυναμένοις καθικέσθαι τῆς ψυχῆς* pro *ἀρκεῖται*.

C. G. C.